

85. CONON	<i>Ind. KABE</i> ^{1, 5}	—	XI	— xx <i>E</i> ¹
86. SERGIUS	<i>Ind. ABE</i> ^{1, 5}	XIII	VIII	XXIII xxiii <i>E</i> ^c
87. IOHANNES [VI.]	<i>Ind. ABE</i> ^{1, 5}	III	II	XII
88. IOHANNES [VII.]	<i>Ind. ABE</i>	II	VII ui <i>B</i>	XVII
89. SISINNIVS	<i>Ind. ABE</i>	—	—	XX
90. CONSTANTINVS [NVS]	<i>Ind. ABE</i>	VII	—	XV

Iam videamus primum in ordine spatiisque episcopatum quaenam Pontificalis nostri libri scripti habeant sumpta ex laterculo Liberiano.

1. In collocandis Cleto et Clemente apud Pontificalem nullum indicium remanet ordinis Liberiani videturque ab exordio auctor eius in ea re Indici obsecutus Cletum ante Clementem collocavisse. Ad diversitatem eam respicit locus vitae Clementis, quem primi auctoris esse credo, quamquam ab epitomis abest: *ideo propter Linus et Cletus ante eum conscribuntur eo quod ab ipso principe apostolorum ad ministerium sacerdotalem exhibendum sunt episcopi ordinati.* Sed tamen Pontificalem qui scripsit catalogi Liberiani ordinationem tam imperite invertit, ut consulatus retineret non mutatos itaque apud eum post Cletum episcopum adscriptis annis 77—83 veniat Clemens episcopus adscriptis annis 68—79.

2. Anacletum in Indice recte omissum cum Liberiano auctor Pontificalis retinet, neque id mutaverunt posteriores.

3. E contrario in Pio et Aniceto ordinatio inversa falsa¹ ex Liberiano transiit in recensiois prioris epitomen utramque *FK* itemque in codicem *E*¹, quocum in ea re consentiunt excerpta antiquissima Mutinensia (*E*³ Duch.) sumpta ni fallor pariter atque *FK* ex editione priore².

1) Invertunt ordinem item auctores saeculi quarti Optatus de schism. Donat. 2, 3 et Augustinus ep. 63. 2) Ex libris Duchesnianis qui praeterea eam ordinationem sequuntur A^{5, 6} C^{3, 4}, omnes contaminationem subierunt cum libris classis *E*.